

2° has conditiones non statuisse cum hac limitatione, si nempe fideles vellent uti hoc speciali medio ad remissionem obtinendam peccatorum, exercitio nempe suae potestatis; sed simpliciter omnes quoscumque ea crimina peccantes iis conditionibus obligasse, si vellent, quod certe velle debebant, consequi remissionem suorum peccatorum coram Deo: 3° illis conditionibus non servatis et negatam fuisse reconciliationem per ministerium Ecclesiae, et creditum fuisse negari eam quoque a Deo, unde et altaris participatio negabatur. Atqui praxis haec ostendit Ecclesiae persuasum fuisse quod usus suae potestatis sit necessarius fidelibus omnibus etiam contritis pro consequenda remissione peccatorum. Si enim Ecclesia censuit (alterutrum vero censere debuit), esse liberum fidelibus uti eo medio, nullamque esse legem Dei, qua ad id obligarentur, ac contritos saltem eximi ab hac obligatione, et idcirco posse fideles alio medio independentem a sua potestate consequi remissionem peccatorum suorum, Ecclesia non censisset indignos esse communionem dominicam eos, qui illis suis legibus non fecissent satis: atque leges illae fuissent latae praeter auctoritatem Ecclesiae concessam a Deo; in negotio enim remissionis peccatorum coram Deo Ecclesia nihil potest nisi ex divina delegatione, et non potest efficere ut inutile sit aliquod medium, quod Deus voluit esse sufficiens, quemadmodum nequit efficere ut contritio perfecta non sit dispositio sufficiens ad iustificationem: ergo.

Constat 4° Fideles, qui in crimina lapsi essent, cum periculum mortis urgeret, petivisse ab Ecclesia veniam et reconciliationem, eamque veniam, quae per actionem poenitentiae dabatur, petivisse sollicite et vehementer; abhorruisse quidem plures a labore poenitentiae, nunquam vero excepisse (exceptione, quae rationabilis visa sit, cf. testimonium Augustini in parte praeced. citatum) iniuste ab Ecclesia conditiones statui pro concedenda reconciliatione, et posse se, citra ministerium Ecclesiae, veniam consequi suorum peccatorum. Patent haec ex testimoniis Caelestini et Leonis citatis in praeced. thesi et ex historia poenitentiae canonicae priorum seculorum et ex epistolis s. Cypriani, quae ad lapsos spectant. Non pauca quidem ex his immediate spectant ad ea crimina, pro quibus publica poenitentia agenda erat, quae erant crimina graviora et manifesta; at si necessarium fuit Ecclesiae ministerium pro remissione eorum, dicendum est habitum fuisse necessarium pro ceteris quoque peccatis; nam unicum discrimen inter haec et ea graviora crimina in hoc positum erat, quod pro his certa esset statuta et publica poenitentia agenda, pro reliquis permitteretur arbitrio sacerdotis excipientis confessionem determinatio poenitentiae.

Audiatur loco omnium Augustinus, qui epistola CCXXVIII ad Honoratum docens non esse Episcopo et clericis fugiendum in persecutione, cum plebs manet, quae careret ope et ministerio sacerdotali, id probat quoque hoc argumento: « An non cogitamus, cum ad istorum periculorum venit extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu et ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, *aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem*, omnibus consolationem et Sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, *quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitae aeternae requie non habebunt? *Quantus denique gemitus omnium, et quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum?* » Habes hic *actionem poenitentiae ipsius*, quae est ritus quo poenitentibus confessis dabatur absolutio sacramentalis, ut probabimus in App. §. II. Certe omnes hi, de quibus Augustinus loquitur, petebant Sacramenti alicuius confectionem: illi ergo quoque, qui actionem poenitentiae petebant, petebant aliquod Sacramentum. Qui vero flagitabant reconciliationem, flagitabant sacram communionem, quae in ea dabatur. His addenda sunt quae afferemus cum disputabimus de necessitate confessionis. Nunc enim tantum statuimus necessitatem subiectionis: quo autem modo poenitens se subiicere debeat clavibus, postea disputabitur.

THESIS XI.

Quocirca potestas haec collata a Christo Apostolis remittendi et retinendi peccata est potestas praesidis et iudicis.

1. Ita a Tridentino appellatur huiusmodi potestas Sess. XIV, cp. 5. Ait enim Dominum nostrum Iesum Christum e terris ascensurum ad caelos reliquisse Sacerdotes sui ipsius vicarios, tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur. *Praeses* qui et *praetor* (cf. Forcellini v. praetor) ille dicitur qui iuri dicundo praeest, qui nempe vel lites inter litigantes definit, vel quaestiones criminum decernit poenasque statuit; idque ex auctoritate, h. e. ita ut sententia sua vim obligandi habeat, et etiam vim solvendi aliquem ab obligatione. Eius proinde sententia est practice efficax quoad ius, quod asserit aut negat. Idem *iudex* appellatur non quidem arbitrarius, sed *necessarius*, a suprema nempe potestate constitutus (nisi sit is qui suprema pollet potestate) in societate, cui

subditi se sistere teneantur, sive ipsi iura sua tueri velint, sive iura societatis defendenda sint. Iudicis appellatio oritur ex cognitione causae praevertente sententiam.

Cum vero heic spectamus potestatem praesidis et iudicis, non proprie consideramus ea, quae exercitium sui actus efficacis praevertere debent, sed id quod in essentiali eius conceptu continetur: hic autem eo redit ut *potestas iudicialis valeat sententia sua obligationem aliquam imponere vel ius aliquod asserere alicui ratione habita eius quod fecit aut non fecit, seu pro merito ipsius*. Sententia scilicet iudicialis est veluti quaedam lex particularis. Haec profecto est perfecta notio potestatis iudicialis: quamvis vero haec notio in societatibus civilibus nunc sit satis diminuta, tamen, omisso quod in his quoque societatibus, talis potestas iudicialis supremae alicui auctoritati saltem competit, nos loquimur secundum notionem veterum, quae plenior est, et si haec ratio potestatis iudicialis competat potestati ligandi et solvendi, certe haec dicenda est potestas iudicialis. Praescindimus itaque nunc ab ea functione iudicis, quae est cognitio causae, quae si requiritur, requiritur ut conditio pro exercitio eius potestatis, spectamus tantum id quod ad essentiam sententiae iudicialis pertinet, ut nempe pro merito alicuius vel obligationem imponat, vel ab obligatione liberet, ius eidem aliquod asserendo. Haec vero distinctio inter cognitionem causae praevertentem ut conditionem, atque sententiam iudicalem, quae est proprius et essentialis actus potestatis iudicialis, sedulo advertenda est, et advertenda erit cum de necessitate confessionis disputabimus.

Ut plenius demonstramus potestatem remittendi et retinendi peccata esse potestatem iudicalem seu praetoriam, recolendum est quod potestas facta Apostolis dicitur a Christo non solum potestas remittendi, sed etiam potestas ligandi. Potestas autem ligandi non solum complectitur potestatem retinendi peccata, sed et potestatem poenas seu poenitentias iniungendi pro peccatis. Id liquet 1^o ex ipsa vi vocis *ligandi*; nam poena iniuncta vinculum aliquod est quo obstringitur poenitens, eaque utilis aut necessaria est ad remissionem obtinendam peccatorum: verba autem universalis Christi *quaecumque ligaveritis, solveritis*, etc. cum comprehendant potestatem remittendi et retinendi peccata complectuntur quoque eam potestatem ligandi quae utilis vel necessaria est ad exercitium potestatis remittendi et retinendi. Liquet 2^o ex praxi constanti Ecclesiae, quae semper asseruit potestati remittendi peccata vim poenas quoque iniungendi sive pro debita dispositione ad obtinendam remissionem sive pro satisfactione culpae. Id evidenter constat ex testimoniis et monumentis historicis allatis in praecedentibus thesibus VIII et IX.

II. Potestatem collatam Apostolis eorumque successoribus remittendi et retinendi peccata esse potestatem iudicalem sic probamus. Sane haec potestas est *a*) potestas instituta a supremo societatis h. e. Ecclesiae Principe, est *b*) potestas necessaria, cui subditi eiusdem principis subiiciuntur, id ex supradictis evidens est: est *c*) potestas liberandi sententia sua aliquem reum ab obligatione, vel eundem retinendi sub obligatione, ac obligationem imponendi. Etenim cum absolutio sit efficax, per eam liberatur peccator ab obligatione; reatus culpae est obligatio quaedam, quatenus passive respondet iuri quod Deus habet ad odio habendum peccatorem: porro ab utraque obligatione coram Deo liberat absolutio. Rursus cum sententia fertur retentionis, retinetur homo, sub utraque obligatione: ac tandem obligatio reo imponitur vi eiusdem potestatis se subiiciendi eidem rursus et obligatio imponitur cuiusdam poenitentiae sive homini absoluto sive cuius retentum est peccatum. Tandem *d*) est potestas obligationem imponendi vel ab obligatione solvendi pro merito eius, qui solvitur aut ligatur; nam non nisi poenitens ex Christi lege solvi potest, nec nisi ei, qui peccavit, imponi potest poena, eiusque peccata retineri possunt. Atqui haec est potestas praesidis et iudicis. Etenim ad essentiam rei quod spectat, tales se habent, qui freti sunt hac potestate in foro interno, quales sunt praetores et iudices in foro externo. Nam ad essentiam potestatis praetoriae et iudicialis hoc spectat, ut quis pro auctoritate, vel sibi propria vel a principe societatis accepta, eaque necessaria, sententiam pro merito ferat efficacem et obligantem in causis iuris violati, et quidem vel absolutionis vel negatae absolutionis, qua negata reus obligatus maneat, si potestas potissimum est collata pro solvendis reis; vel ferat sententiam damnationis, aut negatae damnationis, qua negata reus solutus maneat, si potestas est potissimum collata pro vindicandis criminibus. Atqui potestas a Christo collata Apostolis est potestas delegata a Principe societatis h. e. Deo, est potestas necessaria, eaque instructi Apostoli eorumque successores sententiam pro merito ferunt in causis violati iuris divini, vel absolutionis vel negatae absolutionis, qua reos vel ab obligatione solvunt, vel sub obligatione retinent, atque poenae alicuius obligationem imponunt: ergo. Etsi autem baptismo tollatur obligatio reatus culpae et poenae, tamen id fit ad modum beneficii, non per sententiam latam, nec obligatio tollitur eo actu, qui sit actus potestatis, quae possit simul tollere et imponere obligationem, nec tollitur actu, qui sit actus potestatis remittendi peccata (cf. Th. VIII, II, 5.) sed sequitur ad actum, quo Sacramentum regenerationis administratur.

III. Potestatem hanc esse iudiciale[m] constat pariter ex Patrum doctrina. Sane Hilarius in Matth. XVIII, n. 8. ait: « Ad terrorem autem metus maximi, quo in praesens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicae iudicium praemisit, ut quos in terris ligaverint... et quos solverint... hi Apostolicae conditione sententiae in caelis quoque aut soluti sint aut ligati ». Chrysostomus hom. V. de verbis Isaiae « Sacerdoti solium in caelis collocatum est, et caelestia administrandi habet potestatem. Quis haec dicit? ipse caelorum rex: quaecumque enim ligaveritis etc. Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit caelum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus iudicaret, hoc in supernis comprobatur ». Hieronymus epist. ad Heliodor n. 8. « Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus, qui claves Regni caelorum habentes quodammodo ante iudicii diem iudicant ». August. De Civ. Dei L. XX, c. 9. « Iudicium datum (Apoc. XX, 4.) nullum melius accipiendum videtur quam id quod dictum est: quae ligaveritis in terra, erunt ligata et in caelis, etc. » Gregorius M. hom. in Evang. XXVI « Apostoli principatum superni iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant quibusdam relaxent... Ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt ».

Dices: iudex in foro externo absolvendo aliquem, declarat ipsum innocentem esse, non autem facit, sed supponit: item non facit insontem quem reperit reum, sed damnat; hic e contrario iudex iustum facit absolvendo, qui reus culpae erat; rursus iudex in foro externo fert sententiam vel absolutionis pro innocente, vel damnationis pro delinquente; hic vero iudex absolvit quidem, sed neminem damnat.

Ad 4.^o Prae oculis habendum est primo potestatem hanc a Christo collatam esse potestatem datam in bonum peccatorum, ideoque esse primario ordinatam ad absolutionem peccatorum, quamvis, quia Christus voluit exercitium huius potestatis, quod utile est peccatoribus, non esse eis liberum, sed necessarium pro assequenda venia, simul cum potestate remittendi contulerit quoque potestatem retinendi. Idcirco in hoc differt potestas haec iudicialis in foro interno a potestate fori externi criminalis, quod ea primario instituta sit pro remittendis criminibus, cum e contrario potestas fori externi, quae causas criminum cognoscit, sit primario instituta pro vindicandis criminibus et puniendis reis ad tutelam ordinis et societatis. Id tamen non est de essentia potestatis iudicialis, quae ab utraque differentia per se praescindit. Praeterea recolendum est iudicem in foro interno

non posse absolvere eum, qui nullam pro peccato compensationem Deo exhibuerit saltem per detestationem peccati; quia vero iudex est delegatus Dei, ea compensatione debere esse contentum, quae ex infinita clementia sufficit Deo.

Iam vero iudex in foro interno non absolvit quemcumque reperit reum, sed reum quem reperit dispositum secundum normam Evangelii ad veniam obtinendam per ministerium suum. Sententia autem absolutionis lata ex auctoritate, qua solvitur reus liberaturque ab obligatione reatus culpae et poenae, est certe actus potestatis iudicialis. Quod vero absolutio sit a peccato coram Deo, ita ut evadat iustus qui erat peccator, id est proprium huius fori, in quo iudex vices gerit Dei, qui offensas suas condonare potest et vult. Scilicet quoniam finis huius potestatis est bonum fidelium peccatorum, ut diximus; proinde ministri eam exercentes sunt dispensatores et executores beneficii divini. Non sunt quidem executores *meri*, ut aiunt, sed *mixti*, quorum nempe est iudicare et decernere, utrum beneficium sit conferendum, illudque iudiciali potestate conferunt; possunt enim remittere, possunt retinere peccata. Porro iudex exsequens beneficium principis potest novum ius subdito conferre, et ita statum subditi mutare. Quare ex his solum sequitur potestatem hanc quae iustos coram Deo facit qui mali sunt, esse excellentiorem potestate iudicis humani, non vero non esse potestatem iudicalem. Ceterum et in foro externo sententia iudicis facit aliquem iustum legaliter quidem, ita ut talis legitime sit habendus in societate.

Ad 2.^o Sicut in foro externo iudex ad vindicanda crimina constitutus, officium suum satis per se exercet, si reum aliquem reprensens innocentem neget locum esse damnationi, eumque indemnatum dimittat, ita e contrario in foro interno, cuius finis est solutio peccatoris, non est necessaria sententia damnationis, sed satis est retentio peccatorum. Ceterum iudex in foro externo ferre debet sententiam damnationis, quia, ut iuridice censeatur certa poena debita reo atque executioni mandetur, requiritur sententia iudicis. At in foro interno vix ac quis peccavit iam determinata poena est debita peccatori, quam Deus ipse statuit ipseque est exacturus. Unde non est in hoc foro proprie locus sententiae damnationis ad eam poenam quae peccato ex rerum naturis vel lege Dei debetur. Est tamen locus simili sententiae, nempe 1) sententiae retentionis peccati propter quam sententiam poena peccato debita manet; 2) sententiae decernenti poenam aliquam temporalem pro compensatione offensae illatae Deo.

Corollarium I. Quod iam probavimus in analysi verborum Christi Th. VII; nunc pleniore eorundem verborum instituta analysi (quae hactenus enim ex Scriptura diximus non sunt nisi analysis

illius testimonii) idem plenius licet declarare et confirmare: potestatem hanc scilicet aliam esse a potestate baptizandi. Sane natura et ratio iudicii illud exposcit ut sententia in subditos dumtaxat feratur (Conc. Trid. Sess. XIV, ep. 7.): atqui potestas remittendi peccata est potestas iudicialis; est enim sententia, quae obligat et eundem quem solvit obligare potest: ergo in solos subditos ab Ecclesia exerceri potest: atqui subditi Ecclesiae soli sunt baptizati; per baptismum enim ingrediuntur homines Ecclesiam; fiunt namque non nascuntur Christiani. Unde Apostolus 1. Cor. V, 12. Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? Ergo potestas remittendi et retinendi peccata, de qua Ioan. XX, 21. seq. alia est a potestate baptizandi.

Sane baptismus non confertur per modum iudicii, sed per modum cuiusdam regenerationis, cuius elementum est necessarium extinctio omnium peccatorum. Rursus actus potestatis conferendi baptismum non est retentio peccatorum; quamvis qui potest baptizare possit negare baptismum, sed negatio baptismi non est actus illius potestatis: e contrario negatio absolutionis est actus illius ipsius potestatis quae potest absolvere; eodem enim auctore Christo potest remittere et retinere peccata. Pariter qui baptizat iudicare plerumque debet utrum baptizandus sit dispositus, sed hoc iudicium non est actus potestatis baptizandi, qui quoad parvulos non exercetur; sed est actus praecedens exercitium potestatis illius requisitus ex rei natura, et aequae necessarius quoad cetera Sacramenta, ex ea lege, quod non est dandum Sanctum canibus. Ergo.

Et re quidem vera constat Patres asseruisse Ecclesiae potestatem remittendi fidelibus peccata, simulque asseruisse baptismum reiterari non posse. Id porro perinde est ac docere quod praeter potestatem baptizandi est alia in Ecclesia potestas remittendi peccata.

Quamvis ergo quidam Patres, ut Cyprianus epist. LXXIII, August. Serm. XCIX, Chrysostomus hom. VI. in 2. Corinth.; Cyrillus Alex. in eum locum Ioannis, aliquando sententiâ Christi, Ioan. XX, 21., comprehenderint quoque potestatem dandi remissionem peccatorum per baptismum, id improprie per quandam extensionem analogam fecisse dicendi sunt, ratione tantum habita effectus, qui est remissio peccatorum, qui in baptismo quoque obtinetur, non vero habita ratione specialis modi, quo hic effectus obtinetur, qui modus specialis, Ioan. XX, 21. est potestas remittendi et retinendi peccata, quae alia prorsus est a potestate baptizandi. Vel dici potest Patres testimonium hoc afferre, cum loquuntur de remissione peccatorum per baptismum, ut alteram potestatem per alteram credibilem facerent. Ita Suarez l. c.

Corollarium II. Ex interpretatione data in hac et praecedentibus Thesisibus testimonii Ioannis XX, 21. collata quoque interpretatione testimonii Matthaei XVI, 19. liquet turpiter errare Protestantes, cum contendunt verbis Christi Ioannis XX, 21. factam quidem esse Apostolis potestatem remittendi et retinendi peccata, verum hanc potestatem exerceri per ministerium praedicationis, annunciando poenitentibus remissionem peccatorum et impenitentibus iram; ideoque non esse potestatem praetoriam et iudicalem, sed purum ministerium praedicationis aut accensi referentis quod iudex decreverit. Conc. Trid. Sess. XIV, cp. 1.

CAPUT II.

DE MODO QUO HAEC POTESTAS EXERCETUR.

Postquam demonstravimus esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata, sequitur inquirendum quomodo ipsa ab eam habente exercenda sit. Id vero exsequemur inquirentes 1) quinam sit sensus absolutionis, quae actus est illius potestatis, ut quaedam, quae in hac re ex iam dictis reliquae sunt, quaestiones expediantur: 2) quomodo modo efferi absolutio debeat: 3) an simul cum absolutione Sacerdotis tanquam forma concurrant quoque actus poenitentis tanquam materia, ad gratiam producendam et an 4) impositio manus sit necessaria. Tum de ministro inquirendum erit, quodnam 5) sit subiectum huius potestatis et 6) de potestate iurisdictionis ac 7) de iure reservationis casuum.

THESIS XII.

(q. LXXXIV. a. 3.)

Sententia absolutionis est sententia efficax remissionis peccatorum; ideoque sensus huius formulae: Ego te absolvo, non est: Ego te absolutum ostendo vel declaro, sed sensus est, quem verba ex se praeferunt in significatione practica et efficaci. Quae quidem significatio prout est efficax et practica inest verbis ex institutione divina. Ex eadem quoque institutione est quod per ea verba gratia sanctificans significetur: haec tamen significatio non est directa, sed indirecta.

I. Certum est exercitium potestatis clavium per actum sensibilem debere fieri; est enim potestas iudicialis exercenda erga alios, quibuscum non nisi mediante aliquo sensibili signo communicare potes.